Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 595
Quelle:
Copyright:

Dei, nempe *Coneacol* et *Aia* ſeu *Aio*, quorum prius legendum *Koneh Haccol* קונה הכל, *Poſſidens omnia* potius, quam *Omnipotens;* alterum *Ehjeh* אהיה *Exod.* c. 3. v. 14. *Qui erat, eſt, et erit*, potius, quam *Qui erat et qui erit.* Sequuntur, ut dictum, *Secundum hesdram ueri caracteres hebreorum, nomina et interpretationes eorum.* Sed Characteres nemo pinxit; reliqua ſic: *Aleph Mille. vel doctrina. Beth Domus. Gimel Retributio uel Plenitudo* &c. Occaſione *Simeonis* ſupra dicti occurrit mihi, hunc eſſe fortaſſis *Hebraeum* illum doctum, cui *Martianaeus* et *Vallarſius Quaeſtiones* N°. IV. et V. adductas tribuunt, autoritate *Rabani M.* moti, qui in *Praeff.* ſuis ad *Commentar. in LL. Regum* et *Paralip.* ait, ſe quaedam illius in uſus proprios convertiſſe, quae re ipſa in illis *Quaeſtionibus* leguntur, cumque in *Praef. ad LL. Regum* diſerte aſſerat *Rabanus*, ſe illud *cum Nota nominis ejus* feciſſe, Editionem *Colon.* Nominis hujus gratia, verum incaſſum, pervolvi. Itaque ab Editoribus ſubpreſſum videtur, neque niſi in vetuſtioribus Codicibus *mſſ.* qui mihi praeſto non ſunt, reperiendum.

XV. *fol.* 97. p. 2. *Eucherius Lugdunenſis epiſcopus uerano* (reſcriptum) *pontifici ſalutem. Formulas ſpiritualis intelligentię latinorum nominum componendas tibique mittendas pro ſtudio paternę erga te ſollicitudinis exiſtimaui.* En Opuſculum a me jam *Vol.* I. P. 1. *col.* 51. et 211. indicatum, et e poſtrema *Andr. Schotti* recenſione illatum T. VI. *Bibl. PP. Lugd.* ad p. 824. Verum enimvero, niſi dicas *Formulas* has ſucceſſu temporum ab aliis auctas interpolatasque fuiſſe, Editores omnes jejunum earum Exemplar nactos eſſe ſtatues, ubi praeſens noſtrum inſpexeris. Ut enim ei quoque deſit *Caput* I. quod in Edit. *de divinis nominibus* inſcribitur, cetera deinceps Capita, quamvis Rubricis non ſatis diſcriminata, multo uberiora ſunt. Exemplo ſit *Caput ult.* nobis XI. *de Numeris*, quod vel quadruplo prolixius eſt impreſſis. Ita et praecedenti inſerta eſt *Significatio Lapidum* XII. quam illa non habent. Igitur adhibito hoc Codice ſperari poſſet longe perfectior *Formularum Eucherii* editio.

XVI. *fol.* 124. *Incipit prologus de uita uel obitu ſanctorum qui in domino pręceſſerunt.* Editio *Breuliana Iſidori* p. 531. habet: *qui Deo placuerunt.* Variant et alia multa in Codice ab illa Editione, ut vel e ſola *Adae* Vita oſtendam:

Codex.	Editio
Princeps humani generis et delicti tellus fecunda uiret perpetuo uirore carneum ſumpſerat ortum	Princeps generis et dilectus tellus foecundatur perpetuo virore carnis ſumpſerat ortum

exu-